

tantibus nimirum patres & maiores suos ad Christum dicentes: Nonne recte dicimus, te demonium habere? quibus vicissim Christus respondet alibi: Vos ex patre diabolo estis.

Cum porrò Saxonia Princeps Fridericus sapiens, Elector, suasu Fratris sui Ernesti Episcopi Magdeburgici, nouam constituisset Academiam Viueberge, anno Christi 1502. solenni pompa introductam die decimo octauo Octobris, primo Rectore Martino Polich Mellerstadio Franco, Iurisconsulto, & medico, & concionem habente Fratre Fleccio, qui publicè in introductione his verbis usus fuerat: Ab hoc albo monte, (sic .n. Viuebergam, quasi Vneissenberg, album montem appellauit) petet totus mundus sapientiam & puritatem doctrine: ad eam quoq, Lutherus anno 1509. vocatus est, anno etatis sue 25. opera & studio Doctoris Iohannis Staupicij, qui quadraginta cœnobiorum Augustinianorum in Misnia & Turingia vicarius, ut vocant, & generalis per Germaniam inspector fuit, Vir nobilis, eloquens, & pius. Deprehenderat enim Staupitius in Luthero singularia dona, iudicium, studium, pietatem, eruditionem: quæ rara sunt in hominum istiusmodi genere & synagoga.

Publicè prelegens Lutherus, sacram scripturam caput & tribunal constituit, cui omnis
logicen,